

hanc vniuersalem significationem procul dubio spectant versus VIR-
GILII ^{b)} :

*Bis senos pepigere dies , et pace sequestra
Per siluas Teucris mistique impune Latini
Errauere iugis.*

in quibus pacem sequestram dici pro induciis, inter omnes conuenit, idque ideo, quia induciae sint pax temporaria, et media inter bellum praeteritum et futurum, vti CORASIVS ^{c)} explicauit. Primum autem specialiori significatione sequester dicitur conciliator negotiorum, seu interpres et internuncius, quo ad rem aliquam transigendam utimur, quem et arbitrum hoc sensu Romani, Graeci *μεσίτην* vocant, *ἀπὸ τῆς μέσης*, quia est *μέσος* seu medius inter eos, qui aliquid contrahere volunt, quapropter etiam recentiori vocabulo *mediator* solet adpellari. Quare hoc quoque sensu puto IUSTINIANVM *μεσίτας* intelligere, quos a testimonio dicundo arceri vult ^{d)}, qui in vulgari nostra Nouellarum versione pariter ac a IULIANO antecessore, et HOMBERGKIO ZV VACH dicuntur mediatores ^{e)}. Quo sensu TERTVLLIANVM ^{f)} hac voce vsum esse

C 2

CVIA-

b) Lib. 11. *Aeneid.* v. 133. sqq.

TONEM in *Thef.* Tom. 5. pag. 1169. seqq. cuius verba ille retulit.

c) in *Miscellaneis* Lib. 3. c. 2. n. 3.

f) de *resurrect. carn.* c. 51. quem locum non nominauit CVIACIVS, nec

d) *Nouell.* 90. c. 8.

CLVDIVS, qui tamen eum adscripsit,

e) de qua re legi merentur, quae scripsit HOMBERGK ZV VACH ad istam *Nou. not.* 67. vel potius DESIDERIVS HERALDVVS de *Rerum Iudicat. aucto-rit.* L. 2. c. 4. n. 4. et 5. apud EVERH. OT-

perinde vt SCIPIO GENTILIS in *Orig. ad Pand.* apud EV. OTTON. in *Thef.* Tom. 4. p. 1371. Sed indicauit eum cum aliis IO. FRID. GRONOV. ad *TACITI Annal.* Lib. 3. cap. 71.